



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118480**

§. 2. Responsum Cæsaris ad querelas Papæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

## §. II.

Sæc. XVI.  
A.C. 1527.*Responsum Cæsaris ad querelas  
Papæ.*

Cæsar responsum ambabus Papæ literis valde appositum reddidit. In prima tamen epistola verbis admodum acerbis respondit, in altera vero longe humanioribus terminis usus est. *Vestræ Sanctitatis literæ*, inquiebat Cæsar, *nostræ ac nostrorum causæ accerrimam damnationem præseferunt, quæ profecto nostræ in Apostolicam Sedem filiali observantiæ convenire non videntur, quinimo ab eo affectus & studio, quo Christianam Rempublicam semper complexi fuimus, ac illius incrementum pro viribus procuravimus, prorsus aliena censentur. Nonne Galliarum Rex Sanctitatis vestræ impulsu, & suâsu de ipso novo fœdere ineundo sollicitabatur. Nominavimus equidem illustrem Borbonii Ducem, in eum Mediolanensis Ducatus investituram conferre parati, sed hunc ipsum Ducatum per nos recuperatum, quem licite retinere poterimus, tot titulis, totque juri- bus fulti eidem concessimus. Franciscus vero Sfortia in eodem Ducatu nullum jus potest prætendere, cum immemor beneficii in eum collati plura cum Gallis hostibus in Sacri Imperii dedecus, & detrimentum molitus sit, ex cujus feloniam, si quod jus in ea-*

Guicc. *ibid.*

Sæcul. XVI. dem Statu habuisset, ad Sacrum imperium  
 A. C. 1527. devolvebatur. Nihilominus tamen pro Rei-  
 publicæ quiete ex nostra mera liberalitate  
 consensimus, eundem Sfortiam tanto munere  
 dignum facere, eidemque Ducatus investitu-  
 ram concedere. Nunc vero non tanta caus-  
 sa doloris Vestræ Sanctitati parata videtur,  
 si Dominus vasallum ingratum & læsæ Ma-  
 jestatis reum puniendum censeat. His  
 præmissis subjunxit Imperator, quod le-  
 ges, de quibus Papa queritur, eo dun-  
 taxat sine condidisset, ut jus patronatus  
 sibi ab Adriano VI. concessum tueretur,  
 nec tamen inde querendi causam ha-  
 beret Papa; si enim, prosequitur Carolus,  
 eam ad rem recte advertat Sanctitas vestra,  
 comperiet, quod ea Imperio regnisque no-  
 stris plusquam ex ceterorum omnium Re-  
 gnis ac Dominiis simul junctis lucri & com-  
 modi Sedi Apostolicæ accedat; qualia au-  
 tem sint ea lucra, ex centum illis grava-  
 minibus Nationis Germanicæ colligi poterit:  
 quibus tamen ex ea devotione, & observan-  
 tia, qua semper Apostolicæ Sedi affecti su-  
 mus, nusquam aures præstare curavimus,  
 nec his animum adjicere. Si igitur Vestra  
 Sanctitas consulere intendit publicæ quieti,  
 deponat arma, quod & nos facturi sumus.  
 Si vero Sanctitas vestra arma contra nos  
 continuaret, & illorum depositioni non con-  
 sentiret, cum tunc non Patris, sed partis,  
 non Pastoris, sed invasoris officium assu-  
 meret,

meret, pro nostra justificatione, & innocentia, omnia hucusque gesta ad sacri generalis Concilii cognitionem & iudicium remittimus. Nos enim cum ex his, aliisque sat notoriis causis turbari videamus Ecclesiae statum, ipsum Sacrum universale Concilium implorandum censemus.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1527.

In altera epistola Cæsar majori moderatione usus Papam obtestatur, ut Christiani populi calamitatibus prospiciat, nos enim, inquit Carolus, ipsum Deum testamur, pro virili semper conaturos esse, ut & Sanctitas vestra, ceterique Christiani Principes intelligant, nihil æque nobis cordi esse, quam Dei gloriam, ejusque populi salutem, pacem, & tranquillitatem ferventiori studio in dies stabilire.

§. III.

*Cæsar datis ad Cardinales literis conquestus de Pontifice.*

Interjectis aliquot diebus Cæsar ad Cardinalium Senatum dedit literas, quibus suas querendi rationes exposuit, ac dissidii causas in Pontificem coniecit, eo quod fœdere cum Gallis inito pacem stabilitam turbasset, cum tamen, inquit Imperator, nullum unquam Cæsarem nec Principem fuisse profiteamur, qui majori (ne tanta quidem) fide, ac observantia sanctam Sedem Apostolicam veneratus, ac cete-